



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 4. Vtrum extrema unctio possit iterari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



fenstrum sedes inungi, est, quia hoc Sacramentum applicatur in modum cuiusdam medicamenti ad curandos omnes animæ morbos: ergo omnibus morborum radicibus debet applicari; medicina enim ad radicem morbi applicanda est. Primæ autem radices morborum animi sunt quinque sensus, qui etiam sunt veluti quinque ostia, per quæ peccatum intrat ad animam. Debent ergo sedes horum sensuum inungi.

24

Petes: Vtrum singuli sensus in singulis organis sint vngendi: an verò sufficiat vnctio singulorum sensuum in vno organo, v. g. in vno oculo, in vna aure. Item, an sub vna generali forma omnes istæ quinque vnctiones peragi possint: dum v. g. peste infectum inungis, vt periculum contagionis euites: an verò etiam tunc debeat tota forma ad singulas vnctiones repeti?

Sufficit ramentum vnctio vnus organum in quoque sensu. Item vna generalis forma ad omnes sensus.

Respondeo: Mihi valdè probabile est, & quasi certum sufficere vnctionem singulorum sensuum in vno organo, v. g. in vno oculo, vna aure, idque sine signo crucis, quamuis celerrimo contactu id fiat & sub vna generali formâ: v. g. *Per has vnctiones & suam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid commisisti per visum, per auditum, per odoratum, per gustum & per tactum*, vngendo simul organa singula. Nec opus esse addere in nomine Patris &c. Nam ex Doctoribus constat nec inuocationem Trinitatis, nec signum crucis, nec vnctionem vtriusque organi esse necessariam. Et quamuis forma ex vsu Ecclesiæ ad singulas vnctiones videatur repetenda; hæc tamen ita concipitur vt secundum communem intelligentiam æquiualeat repetitioni, & singulis vnctionibus respondeat: quod in negotio Sacramentorum videtur sufficere.

Cautela,

Nihilominus tamen non putarem vtendum hoc modo, nisi quando ex morâ esset notabile periculum v. g. dum peste infectum in angusto conclusoque loco inungis: quod tamen periculum rarè est in tantillo excessu temporis. Alioquin breuiter forma expressè repetenda est ad singulas vnctiones: vt suprâ c. 1. dub. 6. dictum est.

25 Vnctio pedum, renum, & vmbilici non est necessaria.

Dico Secundò: Vnctio pedum, & renum vel vmbilici, non est necessaria. Patet, quia multæ Ecclesiæ non seruant vnctionem pedum, & renum vel vmbilici: vnde non est hoc vniuersalis Ecclesiæ vsu approbatum. Idem docent Doctores.

Dices: Concilium Florentinum enumerat etiam vnctionem pedum & renum: *In pedibus, inquit, vngendus est propter gressum; in renibus, propter delectationem*. Confirmatur, quia, non solum quinque sensus sunt radices peccatorum; sed etiam *vis motiua*, quæ est in pedibus; & *appetitiua*, quæ in renibus.

Respondeo: Concilium Florentinū enumerat omnes vnctiones, quæ possunt adhiberi, & à quibusdam Ecclesijs adhibentur, idque eo fine, vt omnes approbet; non tamen eas præcipit vt necessarias: nam vnctio renum laudabiliter omittitur tam in viris, quàm in feminis: similiter & vmbilici in feminis. Vnctio pedum commodiùs fieri potest, tamen non est necessaria. Ad confirmationem: etsi *appetitus*, & *vis executiua* sint etiam radices peccatorum; sensus tamen sunt primæ radices à quibus peccatorum tentationes primò oriuntur. Tentatio enim à sensibus transit ad appetitum in-

fieriorem, ab inferiore ad superiorem, à superiore ad vim executiuam. Et idcirco sufficit sedes sensuum vngere.

Dico Tertio: Qui sensu aliquo caret, vel trunci sunt manibus, vngendi sunt in partibus vicinis: vt, si quis cæcus sit à natiuitate, vel careat organo, vngendus est ad locum organi, & qui truncus est manibus, ad partem vicinam. Etsi enim talis non peccauerit per sensum illum externū, quo semper caruit; potuit tamè peccasse per sensum internum seu imaginationem, quatenus sensui externo responderet. Nam, sensus internus est instar quinque sensuum externorum, qui omnia apud se format, quæ in sensus externos cadere possunt. Potuit etiã peccasse per voluntatem v. g. videndi, audiendi. Sic, qui non peccauit per manus ipsas, potuit peccasse per sensum tangendi: qui non peccauit per gressum, potuit peccasse per ipsam vim gradiendi & sese mouendi, illicita conando.

26 Qui caret aliquo sensu, vbi vngendus?

DVBIVM III.

Cum adhibentur septem vnctiones, in qua tandem detur gratia?

Dominicus Soto q. 2. art. 3. putant eam primùm dari in septima. *Sicut, inquit, consecratio calicis fit per omnia verba illius formæ, quamuis non omnia sint de essentia formæ; nam ex constitutione Ecclesiæ concurrunt ad effectum Sacramenti*. Pari modo, inquit, si Ecclesiæ præciperet tribus mersionibus fieri baptismum, nõ daretur gratia ante tertiam mersionem.

27 Soto putat eam dari in septima.

Sed hoc suprâ refutatum est: nam posita tota essentia Sacramenti, ponitur quoque Sacramenti effectus, si in suscipiente non sit impedimentum. Vnde duæ illæ vnctiones nihil operantur sacramentaliter. Ratio est; quia Ecclesiæ, vel Minister non potest suis additamentis efficere, vt Sacramentum, quod iuxta Christi institutionem est essentialiter completum, non habeat statim suum effectum; siue vt ille effectus suspendatur donec illud sit additum. Quare dubitandum non est, completis quinque vnctionibus ad organa sensuum, dari gratiam, nec expectari septimam. Adde, valdè probabile esse, ad singulas vnctiones completâ cuiusque formâ gratiam dari; vt colligitur ex suprâ dictis cap. 1. dub. 2.

Duæ vltimæ vnctiones nihil operantur sacramentaliter.

DVBIVM IV.

Vtrum extrema Vnctio possit iterari?

D. Thomas hæc quæst. 33. docet hoc Sacramentum esse iterabile, eò quòd characterè non imprimat: posseque etiam in eodem morbo, si ille diuturnus sit, repeti, modò morbus ille diuersos status habeat, ita vt bis hominè, interpositâ nonnullâ cõualefcentiâ & temporis tractu, vicinū morti fecisse videatur. Hinc si quis ex phtisi decumbat, ex qua certum videtur eum non posse diu viuere, & is in aliquo deliquio semel inungatur, non poterit postea rursus inungi, etiamsi post aliquot menses simile deliquium superueniat: quia morbus ita manet in eodem statu, vt ex eo mors sit expectanda. Vide cetera apud D. Thomam.

28 Vt iteretur, sit morbi status diuersus.

Eeee

DE